

R. N. F. C.

DISSERTATIO,

HISTORIAM  
REGIÆ ACADEMIÆ  
ABOENSIS  
CONTINENS,

CUJUS

PARTEM SECUNDAM

CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS PHILOSOPHICI  
IN ILLUSTRI AD AURAM LYCÆO,

PRÆSIDE

M. A. G. JOHANNE  
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. & ORDIN.  
NEC NON REG. ACAD. ABOENS. H. T. RECTORE,

*Publicæ censuræ modeste subjicit*

JOHANNES LENÆSIUS,

ANGERMANNUS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXVIII APRILIS  
ANNI a N. C. MDCCCLXX.

H. A. M. C.

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

S: E R: A: M: T: S  
MAGNÆ FIDEI VIRO  
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

D: NO: O L A V O  
KÓRNING,

S. S. Theologiæ DOCTORI Celeberrimo,  
Diœcelesos Hernōsandensis EPISCOPO Eminentissimo,  
Scholarumque per Diœcesin EPHORO Accuratissimo,

MÆCENATI MAGNO.

**H**istorias vastationum terrarum passim legimus & ferocitatem hominum in illis merito horrescimus; sed annales progressum scientiarum parcus occurunt, quamvis felicitatis humanæ sint placidissimi indices. Hoc perpendens, rationemque collocati hactenus ad banc Academiam temporis redditurus, particulam quandam Historiæ Academiæ Aboensis elucubrandam in me suscepit, quam dum publici juris nunc facio, REVERENDISSIMO NOMINE TUO lucem eidem mutuari haud dubitavi. Favas, EMINENTISSIME PRÆSUL, innoxio conatus, & adfictas spes meas benignitatis TUE aura subleves. Sic ego vicissim nullum prætermittam diem, quin DEum O. M. supplicibus venerer precibus, velit Te, REVERENDISSIME DOMINE EPISCOPE, sospitem atque incolorem conservare, usque dum Patrie, Diœceos, Familiaeque TUE Nobilissimæ votis satisfeceris. Ita ex imis cordis penetralibus vovet.

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

cens d-votissimus

JOHANNES LENÆSIUS.

## §. IV.

## DE PRIVILEGIIS ACADEMIÆ ABOENSIS.

Sicut privilegia, quæ Academiæ Upsaliensi concesserat Augustissimus Sueciae Rex, gl. m. GUSTAVUS ADOLPHUS, ea judicii atque experientiæ maturitate fuerunt consignata, ut ex calculo omnium peritorum ad felicitatem Academiarum & incrementa litterarum plurimum conferrent; ita quoque Serenissima Ejus Filia, Regina CHRISTINA, consultissimum duxit, iisdem nascentem Academiam Aboensem in omnibus articulis, qui huic applicari possent, tantisper munire, donec ipsi daretur occasio, pro re nata vel emendandi eadem, vel etiam augendi, ceu ex diplomate in §. antecedente allato constat. Nostri igitur instituti ratio postulat, ut ex tenore documentorum, quæ in Consistorii Academici Archivo servantur, nunc explicemus immunitates & jura Academiarum nostrarum diversis temporibus concessa, tum etiam indicemus Regias Litteras, quæ ab hoc negotium illustrandum conducunt. Faciamus igitur initium a commemoratione privilegiorum Regis GUSTAVI ADOLPHI, Holmiaæ die XXV Junii An. MDCXXV datis, quibus tanquam basi cetera innituntur, quorum hæc præcipua sunt capita: I:o Senatui Academico facultas conceditur, proprium eligendi Cancellarium ex Ordine Purpuratorum, cui in rebus & controversiis Academicis summa post Regem sit potestas (a). II:o Senatui Academico potestas conceditur, Professores probatae eruditio ac virtutæ, nec non Quæstores, Notarios, aliasque Ministros, vera Religione Evangelica imbutos, eligendi, atque Cancellario & S:æ R:æ M:t: commendandi, ut in muneribus confirmentur. III:o Ut in hac Academia doceantur omnes artes liberales & linguae exoticæ;

Facultates constituantur, Doctores, Magistri & Baccalaurei (b) juxta morem in aliis Christianis Academiis receptum crecentur. IV:o Honorum atque dignitatum prærogativa eis concedatur, qui in Patria: Academiis lauream aut mitram Doctoralem sunt consecuti, præ illis, qui apud exterros eosdem capessiverunt gradus (c). V:o Academiæ propria sit iurisdictio ab urbis diversa (d), in qua Senatus Academicus dijudicat res & controversias Academicorum tam in civilibus, quam criminalibus, excepto criminis laesa Majestatis. Quod si caussæ criminales fuerint majores, quæ mortis supplicium promerentur, Senatus Academicus cognoscet, judicabit, & communicata re cum Cancellario, ad supremum Regis judicium referet. Si supplicium a S:a R:a M:te remittatur, multæ cedent fisco Consistorii. VI:o Omnes mulæ, quas Coloni, Statui Academico subjecti, fisco Regio solvere debent, vulgo Satyre, quamcumque ob causam, sive sententia lata fuerit in judicio territoriali, Provinciali aut Regio Dicasterio, inferantur fisco Academico. VII:o Nulla persona Academicæ, quæ ultra unius diei iter ab urbe non abest, alibi quam a Senatu Academico judicetur. VIII:o In rebus gravioris momenti, quæ Academiæ salutem concernunt, præsens sit Cancellarius, vel hujus vicem sustinebit Episcopus & Pro-Cancellarius, præsente toto Senatu Academico, cuius suffragia deinceps ad Cancellarium erunt deferenda, sive jura Academicæ, sive negligentiorum correctionem concernant. IX:o Indultum est Senatui Academico, leges & statuta ferre Studiofis Academicæ & suis ministris. X:o Totus coetus Academicus a tributis urbicis (a Stadsens tunga, slager och besvär) est immunis. XI:o Posseidat quoque bona mobilia ac fundos in urbe pari jure, ac ceteri cives. XII:o Senatui Academico conceditur potestas, proprios tuendi pifcatores, quibus injunctum

etum, ut pisces ex finitimiſ lacubūs & freſis in ſuſtentationem Academicorum colligant. XIII:o Si quis Professor vel adverſa valetudine vel proiecta ætate impediatur, quo minus ſuo fungi queat munere, dimidia tamen ſalarii parte, quoad vixerit, fruatur; altera ei, qui officii partes tueretur, relictā.

Allata modo privilegia non tantum conſirmavit Re- gina CHRISTINA, poſtquam habenas imperii SvioGo- thici caperſivit (e); ſed etiam datis Holmiæ Litteris die 23 Octobris An. 1646 eadem partim explicuit, partim amplificavit. Sic Academiæ confeſſit varias ſervitutes (årliga råntan, gjärden, Byggnings och Saltpetter-hjelpen) nec non quasdam immunitates ſcil. a vectione & ex- ſcriptione (Schutſärder och unfrifningar), ſub eisdem con- diſionibus, quibus hiſ gaudebat Academia Upsaliensis. Jurisdictionem Academicam ad diſtantiam ſex milliarium undiquaque ab urbe extendit; intra quod ſpatium ſtuđiosus ſine auctoritate Magistratus Academicī capi aut conueniri non deberet, niſi in flagrante delicto eſſet de- prehendens. Auxit quoque ſalarium Quæſtoris Academicī, conſtitutisque variis ministris ſalaria confeſſit, & de- niue in robur Typographiæ & incrementum Biblio- thecæ confeſſit Academiæ ducentos thaleros argenteos, ut tamen horum administrationis rationem coram Col- legio Camerali redderet Quæſtor.

Qui Hyperboreæ huic Palladi in imperium Svio- Gothicum ſucceſſerunt Magni Reges, quamvis plerique Bellonæ tumulibus immane quantum diſtinguerent, Litterarum tamen florem promovere non intermiſerunt; ideoque partim jam confeſſa Academiæ privilegia con- firmarunt (f), partim eadem novis immunitatibus auxe- runt. Imprimis Suethiæ Rex gl. m. FRIDERICUS I. emeritis Professoribus integrum confeſſit ſalarium (g), jufſitque, ut in foro Academicō, paucis eisdemque gra-  
D 2 vios-

vioris momenti caussis exceptis, uteretur processu sumario, in quo de simplici & plano, omissis solemnitatibus, observatis solum substantialibus, negotium tractatur & dijudicatur. Hac enim ratione Professores non valde distrahuntur a lectionibus sive publicis sive privatis, nec Academici diu exspectare coguntur ipsam sententiam. Quid? Quod Consistorio Academico integrum sit a Jure Communi interdum recedere atque in discipulorum, quorum veluti tutores agunt, vitia vel crima leviora paternis quasi castigationibus ita animadvertere, ut sine forensi strepitu ad meliorem frugem reducantur (b).

Quæ insuper Academæ nostræ specialia concesserunt commoda Reges nostri augustissimi, majora & plura sunt, quam ut a nobis profrus reticeri hac occasione debeant. Huc pertinet immunitas a vestigali pro libris exoticis (Beskrifte från Euu och Licent för Becker) (i). Singulis Professoribus, sacro ordine non initiatis, & Quæstori conceditur in usum Oeconomicum villa Rustica, *Præbende Hemman*, quæ singulæ immunes ab oneribus consuetis Rusticorum (För Gäst-, Skjuts- och Dagsverken) (k). Liberantur Academicci a pendenda parte decima bonorum demortui civitati (l), nec non a stipendiis militaribus (Krigshjälpen) (m); & Professores, qui simul Ecclesiarum Pastores sunt, liberantur a tributo Beskaps penningar och Extraordinarie uttagor (n). Professoribus etiam & horum viduis confertur immunitas a censu & a furnis, Mantahls och Balungs penningar (o); quin & villa Professorum eisdem gaudent juribus, quibus prædia Nobilium prævalent, med Frässse wilfor och Frässse svishet (p), adeoque idoneis locis fundorum sibi concessorum extruere posunt tam molas, quam tabernas Lövruar och Krögår (q). Præter piscatores tueri Academia potest Opifices, ut Bibliopolam, Bibliopegam, Fe-

ne.

nestrarium, murorum Artificem, Sartorem, Fabros aliquot Lignarios &c. (r). Plura, quae concernunt Privilegia Academicorum exponunt ipsæ constitutiones Academicæ.

- (a) Vid. Academ. Privileg. d. 25. Junii 1625, §. 1. item d. 19. Decemb. 1666. (b) Baccalaureatus æquipolliebat fere Candidatura dignitati apud nos; creduntque nonnulli, promotionem olim factam fuisse in *Baccalaureos & Magistros*. (c) Quum exteri Academicci non raro abuterentur potestate sibi concessâ creandi Magistros, & honores Magisteriales interdum conferrent eis, quos non cognoscent, nedum quorum explorascent in Litteris progressus; Regibus Sapientissimis consultissimum est visum, varias de honoribus Magisterialibus, in exteris Academiis obtentis, edere constitutiones. Vid. Conf. Acad. d. 27. Junii 1655; d. 19. Decemb. 1666 Cap. XVII. Membr. I. n. 6. Membr. VI. n. 1.; Reg. Litt. d. 9. Novemb. 1750; d. 12. Augusti 1752; d. 20. Martii 1764. (d) In illis negotiis, quæ tam Academie quam urbis communem utilitatem respiciunt, formandum est Judicium quoddam mixtum, vid. Reg. Litt. Civitati Aboensi die XXI. Augusti An. 1732 datas & Rescript. Reg. d. 9. Jan. 1759. (e) Vid. Reg. Litt. de die 23 Octobr. 1646, & præcipue de die 19 Octobr. 1650. (f) Talem privilegiorum suorum confirmationem a Rege CAROLO X obtinuit Academia Aboënsis die 27 Junii 1655, a Rege CAROLO XI die 17 Septembr. 1675, a Rege FRIDERICO I die 5 Novembr. 1723. & a Rege nostro Clementissimo ADOLPHO FRIDERICO per Litt. Reg. de d. 25 Novemb. 1731. (g) Vid. Reg. Litt. d. 14 Junii 1739 & d. 30 Septembr. 1743. (h) Vid. Utdrag af Protocollet hållit i Kongl. Majst:s Rådfummär d. 1 Martii 1750. (i) Conf. Litt. Reg. d. 8 Mij 1641. (k) Vid. Litt. Reg. d. 15 Augusti 1646. (l) Vid. Litt. Reg. d. 6 Aprilis 1687. (m) Vid. Litt. Reg. d. 17 Julii 1662. (n)

Vid. Litt. Reg. d. 10 Augusti 1667. (o) Vid. Litt. Reg. d. 31 Augusti 1672; d. 18 Novemb. 1682; d. 29 Martii 1683; d. 18 Febr. 1684; d. Julii 1685; d. 30 Januar. 1686. (p) Vid. Litt. Reg. d. 12 Martii 1674. (q) Vid. Litt. Reg. d. 14 Augusti 1667. (r) Vid. Litt. Reg. d. 22 Decembris 1646.

## §. V.

## DE CONSTITUTIONIBUS ACADEMICIS.

Quum Societas Academica peculiarem suam habeat jurisdictionem; e re quoque fuit, ut prater leges, quibus singuli regni cives parent, peculiaria insuper obtineret statuta, quæ ad conservationem Academicæ & incrementa litterarum conducerent. Huc spectant CONSTITUTIONES ACADEMICÆ, quæ tam officia a singulis præstanda, quam jura ipsis vicissim concessa expnunt. Sicut igitur Academia Aboënsis eisdem fruitur privilegiis, quibus gaudet Academia Upsaliensis; ita etiam eisdem regitur legibus. Primam Constitutionum Academicarum elucubrationem debent Camenæ Duumviris illustrissimis, Regis Regnique Senatoribus, AXELIO OXENSTJERNA & JOHANNI SKYTTE, quæ vero deinceps opera Magnorum Virorum, tam in Jure Patrio, quam in constitutione Academicarum versatissimorum, fuerunt digestæ (a); unde emersit Codex Constitutionum Academicarum, quæ CAROLINÆ appellantur, quippe quas sua auctoritate sanxit Rex gl. m. CAROLUS GUSTAVUS die XXVII Junii An. 1655. Enimvero quum Musarum Aboënsium Mæcenas, Illustrissimus Comes & Senator PETRUS BRAHE, qui, absens licet, semper tamen pupillam suam, Academiam Aboënsim, in memori pectore gereret, probe perficeret, Constitutiones modo nominatas correctione atque additamento egere; igitur Pro-Cancellario & Professoribus id dedit ne-

negotii, ut singulis Constitutionum momentis probe ex-  
 pensis, collatisque invicem sententiis, quod Senatui A-  
 cademico consultissimum est visum, secum communi-  
 carent; quod perfecerunt nostri Academicici, Upsaliensib-  
 us pari in negotio occupatis, cedere nolentes. Hoc  
 opus aliorum in Syethia Virorum examini adhuc sub-  
 jecit Illustrissimus Cancellarius, &c., optimis undique  
 selectis, composuit Constitutiones Academicas, datas Hol-  
 mia die XX Julii 1661, provisionaliter, ut videtur, ad-  
 hibendas. Haec communiter appellantur CONSTITU-  
 TIONES BRAHEÆ, quæ a CAROLINIS in momentis  
 oppido paucis discrepant. Interjecto tempore gl. m.  
 Rex Sueciae CAROLUS XI Academicis injunxit, ut  
 quis eorum Constitutiones Carolinas in Suecanam trans-  
 ferret linguam (*b*); quod tamen mandatum vel præma-  
 tura ipsius mors vel aliae rationes Politicæ interverterunt.  
 Cogitasse etiam Achillem nostrum Hyperboreum, Re-  
 gem CAROLUM XII, de emendatione Constitutionum Ca-  
 rolinarum, vel inde colligi potest, quod quum circa  
 imperii ejus auspicia per Cancellarium, Illustrissimum  
 Comitem WALLENSTEDT, Aboenses supplices petiis-  
 sent privilegiorum suorum confirmationem, hoc tulerint  
 responsum, quod exspectandum esset, donec Constitu-  
 tiones Academicæ debitam correctionis limam subiis-  
 sent (*c*). Quamvis vero scientiæ recentiori præsertim æ-  
 vo novam quasi faciem induerint, Regesque nostri cle-  
 mentissimi, de Constitutionibus emendandis & ad præ-  
 sentem reipublicæ litterariæ statum applicandis solliciti, in  
 partem harum curarum Professores aliosque idoneos vi-  
 ros vocaverint, tantum tamen opus ad umbilicum in  
 Patria deduci nondum potuit. Quare Constitutiones  
 præsertim Carolinæ in Academiis Patriæ vigent, &  
 una cum Regiis Litteris illam efficiunt normam, ad  
 quam civitas Academica regitur. Quid vero leges

istæ speciatim decernant, non nostrum jam est exponere.

---

(a) Vid. Mag. P. ARRHENII *Histor. Acad. Upsaliensis Part. I.* p. 38. (b) Vid. Reg. Litt. die 24 Decemb. 1695. (c) vid. Litt. Reg. d. 17 Miji 1698.

### §. VI.

## DE SALARIIS ACADEMICORUM.

Quandoquidem Professores Academicci non dies tantum, sed integras quandoque noctes ad pallorem usque muneribus suis rite obeundis, hoc est, partim excolendis ac prorogandis scientiis, partim illis feligendis & digerendis, quæ in usum discipulorum præcipue vergunt, partim denique consiliis unicuique Musarum alumno, ad virtutis & eruditionis culmen contendenti, subministrandis impendent; evidens est, quod curis Oeconomicis, ut alii cives, quorum minus ancisa sunt temporum momenta, haud sufficiant; adeoque male cum eis ageretur, nisi Reges ac Principes justa illis concederent salario. Hoc probe perspexerunt Reges nostri sapientissimi; quare Professoribus annua induxerunt præmia, munerum & molestiis & dignitatibus respondentia. Quo certe nomine laudari meretur Regina Svetheæ CHRISTINA, quæ sicut in litteras litteratosque maxima contulit beneficia; ita a propensissimo ejus in Camenas nostras animo fuit alienum, ut Academicci Aboëntes necessaria vitæ sustentandæ administricula diu desiderarent. Quare Pallas hæc Hyperborea Academiaæ Aboënsi a se instituerat die VIII Julii 1644 adsignavit summam 6125 thalerorum (a), solvendis Academicorum salariis impendendam. Quum vero isthæc summa necessariis quibuslibet impensis circa Academiam initia non sufficeret; munus suum ita auxit Munificens-

tissima hæc Princeps, ut Ordo Academicus An. 1646  
consequeretur 6585 thal. Paullo post scilicet An. 1650  
Statum Academicum auxit ad summam 6795 thal. qui  
tamen inter An. 1652 & 1660 imminutus ad 6735 thal.  
Sed fluxum & refluxum opulentia isthae tempestate sen-  
sit Academia nostra; siquidem Status Academicus An.  
1663 æstimatus fuerit ad summam 7285 thal. & tantus  
occurrit in rationibus publicis usque ad annum 1727.  
Summæ primum memoratæ solvenda destinavit Regi-  
na partim redditus ex 307 fundis rusticis, qui tunc con-  
stituentes 188 portiones viriles (hæc mantah), universi  
sloverent summam 3574 thal. partim decimas quarun-  
dam parœciarum, vulgo Kyrkio-Tjonden, quæ sloverent  
1114 tonnas frumenti, seu juxta æstimationem publi-  
cam, Kronowärderingen, 2506<sup>½</sup> thal. quo tamen modo A-  
cademici obtinuerunt tantum 6080<sup>½</sup> thal. pro 6125, qui  
iphs essent decreti. Qua autem ratione Academicici sua  
stipendia ante impetraverint, quam Regina CHRISTI-  
NA Statum Anni 1644 ordinasset, non satis constat.  
Probabile vero est, quod præter salario Lectorum Gy-  
mnasii Aboënsis per Satrapam ex redditibus publicis ob-  
tinuerint adhuc quandam pecuniæ summam, quam An.  
1644 æquasse 2407 thal. constat. Sed sicut turbulentus  
erat Patriæ status, ita hinc quoque non mediocre sensit  
damnum Academia, quæ An. 1653 fecit jacturam 533  
tonnar. frumenti, pro quibus ipsi quidem addita est  
annua summa 1200 thal. Sed promissis saepius, quam  
numerata pecunia acquiescere tenebantur Academicici,  
qui nec frui potuerunt pratis ad resarcendum damnum  
sibi concessis, olim forte fertilibus, sed tunc ita desola-  
tis, ut ne vola quidem aut vestigium illorum amplius  
appareret. Ad has redasti augustias Professores alia in-  
noxia ratione rebus suis consulere necesse habuerunt;  
ne, dum ipsi vires in juventutis institutione consume-

rent, tristi inopia domi consumerentur. Quidam igitur Professorum ex gratia Clementissimorum Regum constituti sunt Pastores majorum Ecclesiarum, præsertim in Finlandia, quidam pares provincias in Academia Upsaliensi impetrarunt, nonnulli etiam munera Adsefforum in Regio Dicasterio Aboensi cum augmentatione Nobilitatis obtinuerunt. Vagam hanc Academicorum Aboensium fortem non tulit gl. m. Rex CAROLUS XI. qui ut calculum cum imperio prudenter posuit, ita eo rem perduxit, ut jacturam 533 tonnar. frumenti circiter recipierent; quem etiam statum Litteris Regiis 1675 & 1684 datis confirmavit. Hoc modo Academicæ per plura lustra obtainuerunt sua salarya, donec Camenæ Aboenses propter vexationem Russorum, quæ An. 1713 incepit, & per octo admodum annos duravit, toto ferme orbe dispergerentur, atque universa Finlandia gravissimo misericordiarum telo oppressa jaceret. Reddita tandem pace, ad sua quoque pensa reversæ sunt Musæ; sed quum loca omnia valde essent desolata, suis vigiliis & indefessis laboribus vix tantum sibi comparare potuerunt Academicæ, quantum tenui ac parabili victui obtainendo sufficeret. In confessu enim est, quod spatio quatuor solummodo annorum scil. An. 1722, 1723, 1724 & 1725 Academicæ fecerint jacturam 18330 thal. & 1131 tonnar. frumenti. Computatione igitur facta Professoris cuiusvis salaryum An. 1722 æquavit tantummodo 229 thal.; An. 1723 vix 204 thal.; An. 1724 solum 243 thal.; & An. 1725 unusquisque vix 190 thal. recepit; adeoque si cogitemus nimiam omnium mercium caritatem, quæ tunc fuit, miraculo similis res, quod inedia non penitus interierint (*b*). Adflictissimam hanc suam conditionem (*c*) Illustrissimis Regni Ordinibus in Comitiis An. 1727 exposuerunt Academicæ; ostendentes, Academiam, ex qua multum emolumenti hactenus sensit Patria, brevi nullam

iam futuram, nisi indemnitatem, saltem in posterum  
 sperare possent, & ea consequerentur stipendia, quæ pri-  
 orum Regum munificentia ipsis adsignaverat. Aquis a-  
 deo precibus, quas ipsa expresserat necessitas, haud dif-  
 fculter annuerunt Regni Ordines, atque Academico A-  
 boënsi statui, uti dicitur, adsignarunt summam 6124  
 thal. tam salariis Academicorum, quam necessaris aliis  
 sumtibus impendendam. Ad ejus tenorem singuli Theo-  
 logiæ Professores preter parœcias, acceperunt 400 thal., Ju-  
 ris autem & Medicinæ 450 & Philosophiæ Professores, five  
 Sacris Ordinibus non initiati, five simul Pastores Ecclesia-  
 rum erant, consequebantur 400 thal. Quæstor 350 thal.  
 Bibliothecarius 150 th. Secretarius 190 thal. Adjunctus Phi-  
 losophiæ 75 thal., Adjunctus autem Theologiæ salarii  
 loco fruebatur redditibus parœciæ, cuius Pastor erat;  
 Typographus etiam 100 thal. & Rationarius 100; ut  
 de ceterorum Academiæ ministrorum stipendiis nihil  
 nunc dicamus. Integræ huic summæ solvendæ destinati  
 sunt redditus ex 332½ villis rusticis, quæ simul constitu-  
 ebant 168½ port. viriles, tum etjam ex decimis (Kyrkio-  
 Eijonde och Qvarntulls Spannemål) 736½ tonn. frumenti,  
 nec non ex censu (Mantahls penningar) 503 thal. 20 or.  
 Quum vero hæc ipsa non responderent primæ institu-  
 tioni, Academiæ Aboënsi d. 17 Augusti 1727 in majus  
 status sui robur concessi sunt redditus ex Regia Piscatura  
 Cumoënsi. Sed de tanto beneficio sibi diu non gratu-  
 lebantur Academicæ; siquidem Piscatura Cumoënsis An.  
 1735 iterum fisco Regio cesserit (*d.*). Gravis omnino  
 hæc fuit jactura, sed multo gravius censendum est da-  
 mnum, quod Academicæ acceperunt, dum an. 1741  
 propter furores Martis solum rursus vertere cogebantur;  
 qua tempestate, licet brevi debacchata sit, fundi rusti-  
 corum Academiæ subjectorum adeo desolati sunt, ut  
 consuetis tributis opportune pendendis pauci essent pa-  
 res.

res. Quare Academicci meliorem statum non exspectantes, in tantis dispendiis compendia querentes, sibi necessaria nec Patriæ onerosa, ab Illustr. Regni Ordinibus in Comitiis An. 1743 exæquationem quandam ac munerum aliquot reductionem petierunt, ut ceteri stipendia sibi designata certius obtinerent; id quod etiam impetrarunt. Ad tenorem igitur hujus status, quo jam fruuntur Academicci, tres Theologæ & tres Philosophiæ Professores, qui parœciis annexis gaudent, tantum ex redicibus fundorum singuli consequuntur, quantum respondeat summa 400 thal. JurisConsultus autem, Medicus & tres Philosophi, qui Ecclesiarum antistites non sunt, obtinent singuli redditus 500 thal. primus vero Philosophus, qui simul est Academiæ Bibliothecarius 550 thal. Academiæ Secretarius, qui simul est Philosophiæ Adjunctus 190 thal. Camerarius 200, alter Philosophiæ Adjunctus 100 thal. Theologiæ Adjunctus gaudet, ut ante, parœcia, Rationarius (Fogden) 100 th.; tres Academiæ ministri simul 120 th.; XLVIII Stipendiarii Regii numerata pecunia accipiunt 1000 thal.; IV Profesores, Stipendiariorum Inspectores, simul 150 thal.; Bibliothecæ & ædificiorum reparatiōni 200 th. aliisque necessariis impensis 146 thal. sunt destinati, totusque sic dictus Status Academicus hodie æstimator ad summam 6310 thal. seu ex rationibus publicis (Stats. Böken) constat. Præterea vero, aucto Philosophiæ Professorum numero, novissimus Philosophus ex decreto Ordinum Regni accipit numerata pecunia 800 thal. (e). Enimvero quum in permutatione quarundam villarum cum publico An. 1727 Academicci, errore calculi a Quæstore instituti, minus justo accepissent, id quod postmodum fuit animadversum, Illustr. Regni Ordines in Comitiis An. 1751 indemnum præstiterunt Academiam, in villarum amissarum vicem eidem alias adsignantes (f), æqualium redituum,

tuum, quos ejusdem plane esse indolis ac cetera stipendia, parique ratione inter Academicos distribuendos, Ordines Regni in Comitiis nuper habitis graviter declararunt (g). Nec hoc loco erit reticendum, quod quum numerus Officialium Academiae ob rationes nuper allatas fuerit imminutus, adeoque Camerarius, Questoris vices administrans, non solus sufficeret Oeconomia singularum fundorum, Academiae donatorum, rite gerenda, necesse fuit, ut Academicci ipsos fundos inter se pro rata dividerent (h); sed unicuique tamen injunctum, coram Confistorio, quoties salus Academiae ita postularet, rationem collecti reditus, qui ne ad obolum quidem augeri unquam debet, reddere; ita ut ne Satrapis quidem provinciarum ullum jus competit in hos fundos. Immo quum Academicci ea conditione nominatos reditus accepissent, ut five lucrum five damnum ex villarum administratione proveniens ipsis percipient (på winst och förlust), jure etiam Nobilitatis (med Frälsmannarätt) ipsis tenent; ne tertius interveniat, & calculos eorum Oeconomicos turbet. Sicut vero de possessione horum reddituum in sinu sibi gratulantur Academicci Aboënses; & proinde spem Magnorum Regum Procerumque regni, quantum ferat mortalium conditio, implere oprose nituntur; ita nemo sortem hanc ipsis invidebit, qui modo consideraverit multo maiores Academiarum Upsaliensis & Lundensis prærogativas. Rex enim gl. m. CAROLUS XII Academiae Upaliensi An. 1699 adsignavit pendendis salariis summam 25822 thal. quam sequenti ævo, imprimis sub auspiciis Regis nostri Clementissimi, utiliore factam fuisse constat (i). Et licet demus, duplo numerosiorem esse Academiae Upsaliensis statum, salariorum etiam quantum quadruplo excedit summam, Academiae Aboënsi concessam. Similiter Academia Lundensis circa ipsam instaurationem accepit re-

ditus ex 925 fundis rusticis, præter molas, plura tugu-  
riola (Gatchus), prata, hisque confocias utilitates insi-  
gnes. Reditus quoque Bibliothecæ Lundensis exsupe-  
rant 700 thal.; Aboënsis infra 200 thal. subsistunt. Sti-  
pendiariis Regiis Lundensibus adsignata est annua sum-  
ma 3840 th. Aboënsibus 1000 th., ut alia reticeamus (k).  
Sed mittimus hanc comparationem, quippe quæ hujus  
non est loci, & potius veneramur Regum Clementissi-  
morum munificentiam, qui præter nominata modo be-  
neficia, omni laude dignissima, Academiæ Auraicæ con-  
cesserunt VII Ecclesiæ, uti dici solent, annexas, scilicet  
Archipræposituram Aboënsim (l). Ecclesiam Fennicam  
Aboënsim (m), Råndemäckensem seu S. Mariae (n), Gra-  
tiævallensem (Nådendahl) (o), Lundoënsim (p), Pema-  
rensem (q) & Pikisensem (r), nec non novem præbendas  
(Afvels hemman) ceu in vetustis appellantur litteris (s).  
De parœciis primum observamus, quod si Archipræpo-  
sitaram excipiamus, quæ curæ Primarii Theologiæ Pro-  
fessoris plerumque fuit commissa, certæ parœciae cum  
certis Professionibus non fuerint connexæ: quod tres  
Theologiæ & tres Philosophiæ Professores nec non The-  
ologiæ Adjunctus curam animarum in illis gerant, &  
quod unusquisque horum Pastorum ad commendatio-  
nem Senatus Academicæ Litteras plenæ potentiae (full-  
magt) ab Illustrissimo Cancellario accipiat. Deinde quod  
ad præbendas attinet, hæ inter reliquos Professores ita  
sunt distributæ, ut Juris Consultus binas, totidemque  
Medicus, singuli autem tres Philosophi unam, Secreta-  
rius & Camerarius quisque unam possideant. Hæ omnes  
censitæ sunt ad summam 344 thal. 11 or. atque ex una  
Facultate in aliam transferri non possunt.

(a) Per thaleros semper intelligimus thaleros sic di-  
ctos argenteos (Silfvermynt); qui computandi modus,  
uti

uti antiquissimus in nostra Patria; ita non solum in rationibus publicis, sed etiam in variis provinciis etiamnum valet. (b) Synopsin hanc mutationis salariorum ex Actis, quae in Consistorii Archivo servantur, excerpsum. (c) Concipi facilius, quam verbis exprimi potest vagrandis illius tempestatis calamitas. Exustæ erant Academicorum ædes, direptæ opes, quas relinquere coacti fuerunt, colonis fundorum necessariæ immunitates a debitis tributis per aliquot annos concessæ, & caritas annoꝝ, hostium vexationes infœcta, Patriam nostram sere exhausterat. (d) Vid. Cl. Magistri BRANDER *Dissert.* de *Regia Piscatura Cumōensi.* (e) Vid. *Reg. Litt. d. 22 Septembris 1761.* (f) Scilicet non animadvertisit Quæstor, Senatum Academicum pro temporum necessitate imminuisse censum (sörmeldat) aliquot fundorum. Hoc modo Academia fecit jacturam redditum ad summam 178 thal. circiter, ad quam resarcientiam adsignati sunt reditus ex 14 fundis. (g) Auro cedroque digna sunt verba Illustr. Regni Ordinum, quæ in Litteris Regiis Holmiæ d. 7 Decembr. 1769 datis occurrunt, nobisque preciosiora, quam ut hoc loco omitti debeant: --- Aldenstund ifrån första fundationen desse räntor varit Academie staten til lön anslagne, och då Vi uppå Riksens Ständers tilfyrckande funnit rättvist at tillägga Academie Staten ersättning uti andra hemmans räntor för dem, som de genom 1727 års hemmansbyte förloradt, deraf följer, at Academien har lika rätt til förvandlingen, som til sielfva räntorne, och det så mycket mera, som vårt Nådiga Bref af år 1752 tydeligen innehåller, at Academien enligt 1743 års förnyade stat, innehafver sina löner på vinst och förlust, och at för den ordsakens skull ersättningen blifvit beviljad; hvarföruran Kongl. Brefvet af d. 7 Januarii 1748 förmår, det Åbo Academie innehafver de densamma förlänta löningshemman, hyvarunder

der åfven de fadermera tilkomne ersättningshemman nödvändigt måste begripas, under Donations rättighet, samt på vinst och förlust för des stat, om räntorne utgå eller ej; utan at Cronan ersätter bristen eller at Landshöfdingarne åga å hemmanen minsta upsigt, så at Academien dem besitter aldeles likasom med Frälse:nan-narätt; och följakteligen på des godtycko ankommer, at med hemmanen så förfara, som Consistorium kan pröva tjenligast, samt ländande til statens bibehållande nu och i framtiden, såsom orden i bemälte Konunga Bref lyda; fördenskull och i betragtande håraf håller Se-crete Utskottet före, det Professorerne vid Åbo Acade-mie ej mera, än andra Indelningshafvare, kan förmenas en fri disposition öfver så väl räntan som förvandlin-gen af deras Löningshemman &c. &c. (b). Primam hu-jus subdivisionis ideam, quam cum Illustr. Cancellario Senatus Academicus An. 1740 communicavit, a decreto Ordinum Regni dat. d. 15 Maij 1732, qui distributio-nem non multo dissimilem Academiarum injunxerunt, ac-cepisse videtur: quem stipendia sibi debita colligendi modum, utpote convenientissimum, non improbarunt Regni Ordines, quando in Comitiis An. 1743 novum Academiarum Aboënsis statum ordinarunt ac confirmarunt. Addo, quod quum Academiarum Aboënsi competat libera dispositio redditum ex fundis sibi clementissime concessis (vid. not. anteced. g. & ibi citat. Reg. Litt.); inde quo-que sequatur, quod singulis Academicis, si his ita visum fuerit, jus competat ex certis villis redditus colligendi. Denique dici non potest, quam grata ipsis colonis ist-hæc fundorum distributio, ab Academicis facta, fuerit & quam hilariter sua nunc solvant tributa, quum humani-ter a singulis excipientur, & sine temporis dispendio, quod debeant, solvere queant. (i) Vid. Cl. Magistri P. L. ARRHENII Hist. Acad. Upsaliensis Part. I p. 44. (k) Confr.

Cfr. *Cel. Professoris J. J. von DOEBELN Regiae Acad. Lundensis Historiam, nec non Panegyricum Serenissimo PRINCIPI SUCCESSORI dictum a Cel. Professore S. BRING An. 1766.*

(*1*) Ab antiquissimis inde temporibus & dum Aboë Gymnasium adhuc floruit, unus Pastor curam utriusque Ecclesiarum Civitatis Aboënsis, Svecanæ videlicet & Fennicæ, gessit. Immo instituta heic loci Academia, Primarius Theologiae Professor non solum integræ Ecclesiarum Aboënsi, sed simul Parochianæ in Nummis aliquamdiu præfuit, nisi ipse, quod interdum contigit, juri suo, in constitutionibus Academicis fundato, quæ jubent, ut Primarius Theologus sit Pastor Civitatis, sponte sua renuntiaverit. Recentiori aeo Cives Aboënses petierunt quidem libertatem proprium eligendi Pastorem, sed Sa R:a M:tas *editio d. 18 Martii An. 1742* sanxit, quod Primarius Theologiae Professor semper esset Pastor Ecclesiarum Svecanarum Aboënsis. Paroecia Nummis ab Archipræpositura separata per aliquod tempus, inter Academias annexas fuit relata, sed ante quadraginta circiter abhinc annos cum Ecclesia Succana iterum conjuncta. (*m*) Ex consilio Rev. Episcopi ac Pro-Cancellarii J. GEZELII, Rex gl. m. CAROLUS XII d. 12 April 1698 permisit, ut Ecclesia Fennica Aboënsis a Svecana separaretur, & proprium Pastorem ex Ordine tamen Professorio acciperet; qua ratione binæ Ecclesiarum Aboënses non sine singulari utriusque emolumento etiamnum administrantur. Hæc autem Ecclesia cum certa Professione non est connexa; quamvis cura ejusdem Secundo Theologiae Professori plerumque cesserit. (*n*) Sicut Episcopus Aboënsis sedem diu habuit in paroecia Råndemacki seu S. Mariæ; ita quoque ipsius Pastor etiam post introductam Religionem Evangelicam fuit. Postmodum autem Augustissimo Regi ex consilio Illustr. Academie Cancellarii PETRI BRAHE placuit, isthanc Paroeciam cum Pargensi commutare, simulque decernere, ut

cura animarum in Ecclesia Råndemåkensi Secundo Theologiae Professori committeretur, vid. Reg. Litt. d. 28 Novemb. 1660. (e) Inter antiquissimas annexas referimus quoque Ecclesiam Gratiævallensem, in qua Cel. Prof. STODIUS curam animarum gessit, suffulsa opera generi sui ANDREÆ PETRÆI, qui ipsam deinceps cum sua Professione conjunxit, vid. Litt. Cancellarii d. 10 Julii 1674. (f) Ecclesiam Lundocensem statui etiam Gymnastico Aboënsi fuisse innexam constat. Ad tenorem Reg. Litt. d. 28 Novembr. 1660 huic plerumque præfuit Tertius Theologiae Professor. (g) Circa Academia initia fuit Ecclesia Saguensis Academia annexis annumerata. Sed quum Illustr. Cancellarius Regi gl. m. CAROLO XI indicasset, hanc longius ab urbe distare & operosiorum ejus esse curam, quam ut Professor omnes Pastoris numeros ex commodo animarum implere posset; a S:a R:a M:te haud difficulter impetravit, ut Ecclesia Pemarensis, quippe propinquior, in annexam abiret. Vid. Litt. Reg. d. 28 Novembr. 1660, item d. 20 Junii 1689. (h) Ecclesiam Pikensem annexis fuisse adstrictam, nemo facile dubitat. Quare observamus potius, quod quum numerus Professorum, Sacro ordine initiatorum, jam major & alio tempore minor fuerit, factum sit, tum ut quedam Annexæ proprio Pastore, non ex ordine Professorio, aliquantisper gavise sint, sed quæ tamen paulo post Academia cesserunt, vid. Reg. Litt. d. 24 Junii 1665; tum etiam ut cura quarundam Ecclesiarum ad Secretarium & Philosophiae Adjunctos subinde fuerit devoluta. (i) Reg. Litt. Holmiæ d. 14 Augusti 1641 datis Regina CHRISTINA designavit singulis Professoribus, Juris, Medicinæ & Philosophiae nec non Quæstori Academico præbendam præter illos fundos, quorum redditus Academicis in sustentationem donaverat, & illarum respectu varia eademque pecunaria Academia concessit privilegia. Vid. Litt. Cancellarii d. 6 Julii 1650.